Masoviae

Łobzyński Joan. Dionysii: Pharus Warszyciana votivis ignibus collucens —

PHARVS WARSZYCIANA Votiuis Ignibus collucens

DONVM

Aurei, in Deiparam Claro-
montanam, amoris ap-
pensum

EX VOTO

Illustrissimi Domini

D. STANISLAI

A WARSZYCE

WARSZYCKI,

PALATINI ET GENERALIS

Terrarum Masouiæ, &c. &c.

Anno à Lucido Partu Virginis, M. DC. XLIX.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cæsarij, S. M. R. Typog.
Anno Domini, 1649.

0.

GENTIS ET ILLVSTRISSIMI BENEFACTORIS INSIGNIA.



Quæ manus in phialâ, docti Minos anne Mironis?
Mentoris hæc manus est? an Polyclete tua?
Ingenio non cedit opus, sic splendet ad aras,
Atque velut sidus, sic radiare solet;
Noscere vis Dominum, sculpto de Stemmate disce,
Verte polo hic; Magnus; Magnus & in Patriâ est.

DEDICATIO VOTIVA
Laboris Religiosi,

Illustrißimo & Magnifico Domino,

D. STANISLAO
A WARSZYCE
WARSZYCKI,

Palatino & Generali Terrarum Masouiæ, &c. &c.

Domino & Patrono Colendissimo.

SI quis, inter Diuina, beneficentiæ Tuæ locus peruius, certè Mons Noster Clarus, omnium patentissimus dici debet, Illustrissime & Magnifice Domine. Quidni igitur Tua hæc augusta munificentia, publicos etiam pateat in applausus, quam Tu publicam esse voluisti. Reciproca pietas siue etiam gratitudo, & nostra in Te Benefactorem Maximum, & Tua in Diuinissimam Diuam nostram deuotio, mutuum requirit theatrum. Hòc aperire si quomodo possem, styli huius beneficio vellem. Nisi quod ridiculò non dissimile est spectaculum, benefactoribus verba, pro rebus dare; Dabi-

mus attamen illa quoque, nisi quod votorum, quæ spargimus, cælestium plenissima, cùm nulla alia donaria, quibus Te tantum Patronum remuneremus, ampliora habeamus. Atque cùm multa alia in Clarum Montem, tum verò & in Ordinem Nostrum, per Te profusa beneficia palam agnoscimus; insimul & illud, pro nostrâ ingenuitate lubentes fatemur, quod non hodie primùm cæpta, pro Tuâ incolumitate, prosequi vota, ad Aram Virginis huius instituimus. Pridem pro Te, quia & Tuis sumptibus, ea deuotio in templo nostro stetit, pro quâ & Nos, æquè in Claromontanæ Diuæ laudibus, ac in Tuâ liberalitate prædicanda religiosi sumus, & esse volumus. Vnum illud præ cæteris beneficium per Te præstitum, non mortales tantùm, sed cælites ipsos in admirationem etiam nunc euocat, quò plus, quàm munificus in Diuam esse voluisti. Ante cuius Archimiraculosam Imaginem, imo & supra fastigium Sacrarij eiusdem, auream vnam, æream alteram, auro itidem illitam lampadem, perpetuis ignibus radiantem è voto publico suspendisti; vt ita, & Tuum Generosum animi ardorem clariorem reddere, & aliorum peregrè venientium deuotionem accendere possis. Omnino Tuæ istæ lampades, celebratum illum Mineruæ lychnum longè superant. Quin & oculum decanta-

cantatum olim Augusti, quem nisi luminosis splendoribus, prudens colere voluit antiquitas. Sed & turris illa in Insulâ Pharo, continuis licet ignibus collucens, Tuis hisce lampadibus, vltrò suos submittit ignes, cùm sese terrestri luce constare, Tuas lampades cælestes ardores efflare, non inuita fateatur. Polus sunt in cælo Claromontano, Tuæ istæ lampades, faces sunt stellatæ, astra ignita, Cynosuræ lucidissimæ. Imò Tu ipse Lampadophorus Marianus es, Illustrissime Domine, atque Pharus nobilissima, qui liberalitatis Tuæ amplitudine, ac si solaribus radijs, Diuam Nostram illustras, omnibus, ob rarum, hâc præsertim frigidâ ætate, erga Virginem hancce cultum, quotquot locum hunc Sacrum inuisunt, spectabilis. Lucet siquidem in animi Tui promptitudine, erga æterni Numinis Matrem, pietas; lucet generis clarissima amplitudo; lucet inter Ordinis Senatorij lucidissimas Lampades, Tua Illustris dignitas, quæ veluti columna ignis, in latè patenti Masouiæ Palatinatu sursum euecta, mirã in vniuersam Rempublicam transfundit voluptatem. Lumen siquidem est rara Tua prudentia, quæ mentis Tuæ penetralia, hausto desupèr influxu, illustrat: lumen erga Deum vera Religio; lumen Diuinissimum, in Nostram Diuam, & quasi continuum studium. Ita Tu Senatorum

 Optime,

Optime, neſcis niſi in luce vbique ambulare. Ex quo tàm virtutum, quàm dignitatum Tuarum lumina, flammæ ſunt cælo datæ, cælo debitæ. Vnde nec mirum, quod Marianis Tu quoque applaudis ignibus. Nam poſteaquam Diua noſtra in ſuâ ſtupendâ Imagine, frontis erga Te amabile reſarare fulgur inſtitit, Tu viciſſim abſque luce in conſpectu eiuſdem apparere minus decorum exiſtimaſti, quando ſimul & ſemel votiuis facibus incaleſcens, Tuæ huic ardenti pietati, æmulas quoque affixiſti lampades. Amori illæ cognatæ ſunt, dum ita rutilant, pietati concolores, quæ ſic candicant. *O Te beatum!*

A cuius Virgo cupit inclareſcere flammis,
Felix es, fies, clarior vſque modò:
Æternumque tuo creſcet ab igne iubar.

Et certè ſatis aliquando prouiſum fuit ab Agryppâ, ne ſitiret Roma: Tu Senatorum Clariſſime, ne ſitim pateretur in Sacrario ſuo MARIA, aurum & oleum prouidiſti. Felicem Te quidni deprædicem? quod appenſis hiſce lampadibus, Virginis Te conſtituiſti creditorem! Fortunatum etiam, cui luminibus iſtis, apud fontem veri luminis, tantum mereri licuit! Nimirum ſatis non habuiſti, vt exaggerata Tua munificentia emanaret in homines, niſi ſanctam quoque Ciuitatem (quæ eſt Dei Mater) olei alueus allueret. O

mentem

mentem Tuam & manum plusquam magnificam! quæ se sic exporrigit, non ad luxum prodigè, sed in ornamenta cultus Mariani affluentèr. Hinc cùm alibi sis consultissimus, hic etiam Religiosissimus haberis, vtpotè cuius auream & ardentem animam, aureus pietatis vigor, atque cælestium flammarum insedit origo. Solem & sydera de laude prouocasti, quando plenas lucis lampades coram Diua Nostra constituisti. Dicam igitur, quod amica veritas dicere iubet. Minus splendidum Sacrarium Claromontanum habuissemus, nisi intus & foris per fastigia ipsius, aurum & ignis WARSZYCIANVS splenderet. Absit abhinc, vt sese iactare præsumat cana antiquitas, aut in aurifero Pactolo, aut in prodigioso Dodonæo fonte, quorum ille aureis dimanat arenis, alter etiam faces extinctas accendit; cùm Tu, Benefactorum Optime, Tuo aureo & ignito voto, vtrumque id, de plano & de pleno imples. Ne nos cæci & lumine capti, qui tot lumina, quibus Tu Clarum Montem, clariorem reddidisti, non videamus? Lubentes itaque & libentes intuemur augustis radiorum Tuorum fulgoribus, nostram Claromontanam radiare Pharum; hilares suspicimus, sine nebulis & absque defectu, splendida, Tuæ liberalitatis, argumenta. Atque vel ideo nouus nobis Aaron esse videris

deris, veſperè & manè accendens lucernas, de die, acſi noua ſydera, Soli; de nocte, veluti aſtra nocturna, ſibi inuicem ſuccedentes, ac de ſuis ſplendoribus, tanquam victimas, vt ita dicam, nocturnas Deo perennitèr facientes. Ergò ſileant hîc ſua miracula, omnes illæ lucernæ, à pretio non minùs, quàm ab arte olim commendatiſſimæ, Demoſthenicæ, Ariſthophanicæ, Cleanthicæ, Epictethanæ, & ſi quæ ſunt aliæ: Tenebræ fuerant omnia illa lumina, Tuis iſtis lampadibus comparata, quæ non tam lucernæ, quàm potiùs philtrum quoddam Diuinum, eſſent appellandæ, ex quo ſic, & oculos cæleſtium rapiunt, & in animos hominum influunt, vt multorum deſideria, ad ſimilia excitare de facili poſſint exēpla. Ecquis enim fidelium, quotquot piè locum iſtum viſitant, non incaleſcat, vel etiā non illuſtretur, à Tuis iſtis ſacris ignibus? vſque adeò vt Pharus iſta Tua, multis ſit in ortu diei Aurora: meridie Sol: veſperi Heſperus: in tenebris Luna, quaſi diem & faciens, & retinens conſtantèr. Prôh Deum hominumque fidem, quàm feliciter in cælo, ſoloque fulgurare incæpiſti, quando ignea vota, igneus ipſe Virginis cultor ad aram Virginalem depoſuiſti! Vnde non tam in vota preceſque, hâc Tuâ induſtriâ, MARIAM vocas, quàm potiùs lucidis Tuis manibus, Illuminatri-

natricem Diuam aggrederis, quot ignibus, tot ſyderibus, hanc ipſam ſyderum Reginam coronans. Niſi quod & hoc inſuper, de appenſis hiſce Lampadibus, colligere nobis licet, vt quemadmodum inter Elementa, ſupremum tenet locum ignis, ita & Tua munifica pietas, altiſſimo famæ impetu, terras tranſcendit, quando ſibi pro metâ adeo excelſum (hoc ipſo cæleſtibus ſeſe immiſcens ſplendoribus) Virginis ſtatuit cultum. Nouo Ædepòl igne, nouo lumine, nouus Promotheus, non terram tantùm, ſed cælum etiam cumulaſti. Quod extingui non poterit, Te Munifico Benefactore, oleum illi vbertìm ſubminiſtrante. Neque enim ſunt Tuæ iſtæ Marianæ faces, fallacia nocturnorum ignium ludibria, quæ poſtquam aliquantulum eruperint in ſcintillam, ſperatò citiùs & nitorem ſuum perdunt; Aſt Tuæ in altum eductæ Lampades, lucem ſeruant perpetuam, non ſolùm vmbris pellendis, ſed & vincendis opportunæ, quando nocte dieque affixæ, à laquearibus ſplendent, nec vnquam extinguuntur; vt vel de caliginosâ nocte ad Clarum Montem venientibus, iuxta ſancitum Athenienſium, viam ignaris demonſtrare queant. Omnino horum ignium Tuorum, pura ſynceraque eſt fuitque ſemper conditio, atque vel ideo nulla ſe caligine

 obrui,

obrui, nullis tenebris infuſcari permittent, quia nec vlla deſultoriâ luce laborant. Atque hic ô Benefactor Colendiſſime, non ideo me ad Cenſorium protrahas Tribunal, quod Tuam iſtam pietatem in ardenti expreſſerim Elemento. Benè ſi quidem ignitus amor in Deiparam, igne notatur. Quod ſi Perſis licitum fuerat, ignem, inter publici ærarij gazas, tanquam ſacrum aſſeruare: Regibus Indiæ etiam ignitum præferre thurribulum; Ecquis & nos prohibet? quin in amoris gazophilacio Tua omnia iſta, & quidem ignita beneficia à multis annis, in noſtrum Clarum Montem profuſa fideliter conſeruem'? Non factura vnquam largitatis diſpendium, quia nec finem, in memoriâ noſtrâ habitura. Neque enim Tuis Illuſtribus gratijs vtimur ceu floribus, tamdiu gratis, quàmdiu recentibus. Tu itaque nobis eris, propter olei & ignis perennis fontem, pro Mineruæ aureo Lychno, tantum à Sophorum Stoa celebratiſſimo. Tu iuſtior Heliogabalus, qui præter Oliuam, balſamum pietatis ad lucernas Tuas affundis. Et denique, Tu lapis Asbeſtos, qui in modum prunæ ardentis, inextinguibile lumen deuotionis ex ſe proijcis continuo. Et certè, ſi luminoſis ſplendoribus antiqui Græcorum imò & Romanorum Principes, coli voluerunt, quando, veluti aucupes Diuinitatis, in

aureis

aureis Carchesijs, per ignem prælatum, cælestem sibi tribuebant potestatem: Nos pariter Tuæ huic Sacræ in Clarum Montem profusioni, nouam hanc Pharum, Palladiâ manu, ad fastigium æternitatis eductam, gratantes præferimus, vt Te singularem Cultorem Marianum, imò Benefactorem Nostrum, Admirandum ad splendorem; Adamandum ad beneuolentiam; Deprædicandum ad gloriam, Sarmatico proponamus Trioni. Nisi quod, quemadmodum nemo facibus ad solem vtitur, ita neque Nos ampliori Orationis luce, ad Tuam beneficentiam illustrandam. Clariùs etenim WARSZYCIANÆ claritatis radij emicant, quàm vt lumine vmbratilis calami exprimi debeant. Quamuis vel vnica illarum Lampadum, (quam veluti ab arce signum, nimirum à vertice Sacrarij Nostri, pro illuminandâ nocte, ardentem quotidie exponi facis) potens, inquam, est, nedum in clarissimâ meridie, sed etiam in tenebris, Te Tuaque inclyta merita, & illustrare, & enarrare luculentèr. Verùm, enim, verò, ne quid etiam affectui nostro Religioso desit (quamuis pleno quid deesse poterit?) interea dum sacrarum harum tædarum incendia, Solis Lunæque, in Sacello nostro, imò in cælo Mariano, vicem obeunt; Nos vicissim Tibi Illustrissimo Mæcenati, lucidas horas, dies, Menses,

Annos lucidos, optamus, vota pandimus lucida, lucidam fortunam precamur, præconia cum gratiarum actione ſpargimus lucida. Adeſte Cælites, Tutelares, Ordinis Proto-Eremitici, Diui adeſte! Tu ſuper omnia Diua Noſtra, quæ nunquam Tibi addictorum repellere noſti preces, nouo lumine à Tuo Illuſtri Cliente dotata, vicem reddito, atque tuâ cæleſti luce, quâ polles, Magno Cultori vbiq; affulge, vt acceſſione nouorum & nouorum in Regno Noſtro Lechico ſplendorum, tandem in immortali polorum gloriâ, meritorũ plenus illuceſcat. Audi hæc vota Claromõtana Virgo, quia & pia & iuſta ſunt. Quas apprecationes dum toties pleno ore, & candido pectore ingeminamus, ijſdem affectum noſtrum & menſuramus & finimus: Faxit Æterna illa mens, vt Te, Heroûm Ampliſſime, diu Patriæ, diu nobis, diu Familiæ, ſaluũ ſeruet & incolumem! Immortalem etenim Te Benefactorem & eſſe volumus, & habemus.

Illuſtriſſimæ & Magnificæ Dominationis Tuæ

Suo & totius Ordinis ſui Nomine
æternùm deuotus

Fr. IOANNES DIONYSIVS
ŁOBZYNSKI, *Ordinarius Prædic.*
in Claro Monte Częſtochouienſi.

INSCRIPTIONES PANEGYRICÆ SACRARVM LAMPADVM,

Quarum vnam
JLLVSTRISSIMVS
D. STANISLAVS WARSZYCKI
Palatinus Maſouiæ,
Ad Aram, Claromontanæ Matris Virginis, auream, æream alteram, auro itidem illitam, ſupra eiuſdem Sacrarium ſuppliciter expoſitas appendit.

INSCRIPTIO I.

En PHARVS in MARI Gratiarum
Vitæ & viæ dubijs Inſtitoribus!
Conſtituit hanc FILIVS LVCIS.
Tantùm illi ſuperfuit de facultatibus,
Vt in LVNAM Deificam, fieret Liberalis.
Tu ne alium ſuſpiceris,
Lege in auro colorem charitatis
In Monte Miraculorum Aureo, Aurum Miraculo quis habeat?
Cor ante deuouit Aris, nunc flagrans cordis votum;
Planè vbi eſt theſaurus, ibi & cor eius.
O Virum Lynceum!
Qui in Claro etiam Monte, tenebras cùm timeret,
Lampades adhibuit ignis atque flammarum.
Benè me elucidas ſemel
Vt duplicem vno in colle ſortiaris lucem,

D Memo-

Memoriæ apud mortales, gloriæ apud cælites.
AVREA OLIVA Pacis, Tibi Oleam pro hiſce lampadibus enitetur
In Elyſio Æternitatis.

INSCRIPTIO II.

Famem ne time Polonia:
En NAVI INSTITORIS portanti de longè panem,
PHARVM erexit WARSZYCIVS!
Pretio pretium addidit,
Cùm DOMVI AVREÆ Auream adiecit Lampadem;
Parum ſolicitus, quid affundat,
Oleum effuſum eſt Nomen eius.
Non ceſsit cælorũ liberalitati WARSZYCIANA Liberalitas,
Lunam illi impoſuêre Pedibus MARIANIS,
Tu Lampadem, in cuius lumine ambularent gentes.
Minui Luna ſolet, quoties Orienti vicina,
TVA LAMPAS PRINCIPEM Amictam ſole acceſsit,
Vt illuſtrior redderetur.
Proijciet meliùs radios ad Maieſtatem MARIÆ,
Quàm Cryſtallũ Archimedis ad comburendã nauim Prætoriã;
Pretioſam eſſe voluiſti mortem tuam,
Cui Aurea Lampas illuceſceret.
Diſſimilis Heliogabalo,
Qui pretioſam cùm apud DEVM & homines non meruiſſet;
Ipſe fecit
Cùm turrim, ex quâ ſe præcipitaret, adornauit auro;
Abyſſum Miſericordiæ MARIAM auro imples?
Non temerè Aurum proijcis in MARE GRATIARVM,
Emerſurum in Æternitate, quam ſic emis.
Diſcite Principes:
Et homi-

Et homines demereri auro & cælites;

Verè inexhauſtum

GENTIS VARSZYCIÆ Ærarium,

Ex quo, cùm tot Polonia hauſiſſet ornamenta,

Adhuc inuenit, quo ornatiſsimâ DEI-PARENTEM adornaret.

ODE I.

In Auream Lampadem, aureæ Liberalitatis Illuſtriſsimi Domini STANISLAI WARSZYCKI.

Lampadis viden PHARVM?
Pium ſereni Verticis per Hæmum.
Talibus DEI PARENS
Cupit clientûm ſe ligare votis,
Furta Phryxei ſenis,
Et euibrantes Gange temno venas,
Præ aureo PHARI globo,
PARENTIS ALMÆ Gemnei CLIENTIS;
Gloriæ probum iubar
Scit & coruſcos luminare colles.
Auribus faue CLIENS,
QVIA MAGNI eſt NVMINIS MARIA.
Auream facis? Tibi
Dabit Smaragdos Pigmalo accolores.

INSCRIPTIO III.

LAMPADIS.

Natus ad illuſtrandam Patriam Magnus Heros,

Curiam Sapientiæ, Aras Pietatis illuſtrat.

Inimicas tenebras, PARENTI LVMINVM, vt arceret

Perennes in Aureâ Lampade alit ignes.

Benè conſcius
Non alio rectiùs, quàm igne colendam eſſe,
MATREM IGNIS omnia CONSVMENTIS.
Non expaueſcite tenebras viatores,
Præfixit Moyſis Æmulus WARSZYCIVS
Præeuntem de nocte PHARVM;
Ne à Metâ votorum MARIA exerretis.
Prudens non minùs, quàm pius Senator,
Qui auro Æternitatem fæneratur:
Affunde Æternitatis Candidate
Pietatis Oleum,
Vt in ſolio Diuinitatis, flammâ ardeat auguſtiore.

INSCRIPTIO IV.

Sacra mæror non turbes,
Lætitiæ hæc Syngrapha eſt conſecrata.
Amænitatem ignes WARSZYCII amant
Procul ô procul hinc tenebræ!
Non terrent iſtæ faces, ſed corda recreant.
Ignis hic ardet, non deficit;
Vel ideo, quia MARIANVS, ſpei æternæ prælucet.
Diuûm locatæ conſilio flammæ
Quæ ab admirandis euentibus Sacræ Imaginis quotidie
Cum deuotione creſcunt.
Nihil hic ſibi fatales ignes vendicant iuris,
Vbi cæleſtis fauor Illuſtriſsimi Fundatoris
Perennia accendit ſydera.
Loci (nimirum Montis Clari) ſuffragium, eſt illis in auſpicijs,
O quam rectè! ô quam congruè!
In adeo Claro loco, clara Pietas, clarè conſpicitur!
Inter tot ſacra anathemata etiam eminet.

Vnde

Vnde merito in Fastis Claromontanæ felicitatis,
Dies ille clariùs quibusuis astris lucebit.
Qui accessione tot Lampadum est illustratus.
Prô cæleste ingenium Herois istius!
In promptu habuit, quô pacto clarum, Clariorem Montem redderet.

ODE II.
Munificentiá Illustrissimi D. Palatini in Aurea Lampade efferendâ.

QVisquis iocosæ viderit hactenus
Splendere vitrum sortis, & inscius
(Suo fauentem sæpè quemquam
Æquanimi recreâsse vultu)
Rerum nitori fidit inanium;
Heu quàm fugaci captus imagine est,
Pulchrâq; se vinctum teneri
Compede pauper inopsq; nescit.
Domitiano quid sua profuit
Famæ cupido, dum Capitolij
Suo, recondit igne sumptas,
Sub titulo veteres ruinas.
Æterna vani scilicet hunc sui
Ætas manendi nominis impulit,
Frustra tenebroso manere
Cogitur en Phlegetontis igne.
Non sic repositæ gloria Lampadis,
(WARSZYCIANÆ sidus adoreæ)
Mansura. toto hæc orbe lucens
Per varias volitabit oras.
Hæc sola Diuis Cælitibus data
Æterna restant. hic amor aureus,
Hic hamus est Æternitatis,
Hoc capitur DEVS ipse, reti.

Securitatis Mater, & vnica est
Cæli voluptas Munificentia,
Hoc quippè, te censes habere,
Quod Superis tribuis metallum.
Æterna summi Præses, & aurei
REGINA cæli. quo, nisi fulgido
Debebat auro, vel micanti
Clara magis radiare signo.
Non illa Gangis, vel rutilas Tagi
Auro fluentis poscit opes, Tuis
Gauisa, non hoc liberale
Præterabit citò fulgur auri.
Olim futura est, hæc tibi Prodroma
PHAROS, Tuorum gratia Munerum;
Hoc calle, quàm securus ibis?
Ignibus his super astra scandes.

INSCRIPTIO V.

Non vulgarem hâc in Lampade Flammam cerne:
Ignis est, pænam consumens ac ærumnas.
Illustri elemento
Illustrem testatur caritatem Illustrißimus.
Igne aurum, vtroque virtutis colorem probaturus.
EN STELLA MATVTINA
Beneficā clientis mutuatur lucem
Quia
Aurum spectantes se exhilarat,
Hinc WARSZYCIVS
In MARE GRATIARVM abiecit aurum,
Vt hæc sit causa illius lætitiæ.
Hamo aureo in Oceano Bonorum omnium,
Nonnisi DEVM ipsum capies.

Ita

Ita
Quidquid peccauit alibi in luxu Principum,
Hîc expiat tuum aurum.

INSCRIPTIO VI.

Moles laudum Tuarum
O ILLVSTRISSIME PALATINE!
Audaciam Orationis opprimit
Sufficit attamen ad venerationis obſequium
Aliquos gloriæ Tuæ fructus delibaſſe,
Ne lumen nominis Tui quod per Illuſtria merita latè ſpargis
Fatales vmbræ inuoluant:
Artificioſis ignibus appenſis,augere hanc ipſam lucē non ceſſas
Quando aureis flammis cælum accendis.
Ex colore & ſplendore Lampadum Tuarum,
Ardentem in Diuiparam agnoſcimus affectum
Niſi quod æquè Clarus es,in Tuis hiſce ignibus,
Ac meritorum ſplendoribus Illuſtris.
Quando nec Tuæ Lampades quidquam Olei,
Nec Tu animi fortunæque eges:
Vſque adeò, vt nihil tuum putes,
Niſi quod Deo & Dei Matri Sacrum facis.
Talem oportuit cælo datam eſſe mentem,
Vbique Magnificam, vbiq; Munificam;
Id docuit Gentilitij Tui Stemmatis author,
Qui ad theſaurum Henrici Imperatoris,
Aurum auro adiecit;
Quem dum commemoro, fontem Liberalitatis
In Illuſtriſsimâ Domo WARSZYCIANA
Semper fuiſſe, quaſi
Digito oſtendo.

ODE III.

Ad Diuam Virginem Clari Montis,

Cùm eius honori auream Lampadem offerret
Illustrißimus D. Palatinus.

SIc te flammigero viuere nobilem
Elegit pretio, sanguine præpotens:
Quem prodit pietas, cultus & inclytus,
AVGVSTA ô Superûm PARENS!
Quàm Te condecorat censibus Aureis,
Pandit laudis iter munificâ manu,
Illustremq́ facit currere semitam:
Et splendescere limina.
Hêu votum GENITRIX temne notabile,
Quod cultus posuit pectoris, & calor;
Arcanusq́ Tui Nominis Arbiter
Aris adijciens tuis.
Sed quid conspicio? iam videor pios
Mulceri sonitu, an ludit amabilis
Me DIVÆ Facies: cæruleum quati
Cantu sidus & aëra.
Inter sidereæ fulgura Gloriæ
Stellarumq́ choros, & iubar ætheris:
Et Lunæ radios munus adoreæ
Poni splendidiùs polo.
Ibis nobilibus non sine plausibus,
Et pulchri nitido Nominis essedo:
Per voces Procerum, per iuga gloriæ
Intrans Pergama siderum.
Miratur Populus munificam Manum,
Et fundit gemitus, vt Superûm PARENS
Vt natum proprijs stringat amoribus
Et votis celer annuat.
Te votiua, sacram turre petit, Domus;
Te præcelsa super culmina postulant,
Et depicta vocant templa, coloribus
Vt te conspiciant suis.

INSCRI-

INSCRIPTIO VII.

Meritò Illustrissimi gaudes Nomine,
Qui clarum aliàs Montem, Illustrissimũ luce Aureâ reddidisti.
Seminâsti in Claro Monte Aurum,
Fertiliorem inde Messem, quàm è Cypri agro, percepturus.
Seruitutis olim vectigal Metallum,
Tu Amoris fecisti.
Indignum arbitratus, auro Palatia splendere,
Si non resplendeant Sacræ Ædes.
Exhausit sæpè Munificentia thesauros; at Tua auget;
Tua Lampas inter SOLEM & LVNAM magìs lucet,
Quia Æternitatis ignem alit.
Pallescit ipse Astrorum Princeps,
Dum Tua PHAROS, Astrorum DOMINAM, illustrat;
In igne olim sacro Dijs, stultitiam Antiqui admirati,
In tuo Pietatem veneramur.
Hic mihi verè illustris est, qui Munificentiæ iunxit Pietatem;
Munificentiæ Tuæ ampliores limites imponere nõ potuisti,
Quàm in Æternitatis Solio.
Auream Lucernam in Monte Claro ponis,
Clariorem in occursum Sponsi accepturus.
Obscuros plerumque, illustrat aurum collectum,
Illustres dispensatum.
Annuũ Dionysij Candelabrum Tuæ Lampadi non æquamus,
Quæ non Anni, sed perpetuitatis dies notat.
Luminare hoc magnis pensabitur Luminaribus,
Lucerna hæc,
Nec flatibus, nec fluctibus exstinguetur.
Iactet Vespasianus templum Pacis,
Nos te Pacificatorem agnoscimus,
Qui in Oleo Pacis, Symbola appendisti.

Lampas hæc diminuto olim Sole
Non vtique minuetur,
Quia dicata PLENÆ LVNÆ.

INSCRIPTIO VIII.

Verba quæ vides
Admirantis animi indicia esse existima!
Alijs claritas Generis; Alijs sola dignitas ad gloriam sufficit,
ILLVSTRISSIMVM D. PALATINVM MAZOVIÆ
Præter Genus & Honorum fulcra,
Cælestis Imperatricis commendat cultus.
Id Lampades affixæ testantur.
Quas Fortunæ dicerem dicatas,
Nisi MARIÆ consecratas esse scirem.
Ditiùs ô VIRGO nunquam radiasti,
Quam ab aureis WARSZYCIANIS ignibus coronata.
Vbi quot flammantes lychni, tot Carbunculi.
Hoc apparatu se dignum Clientem exhibuit,
Quando ignita obsequia Tibi radianti Reginæ impendit.
Omnino gloriosiùs ad Aras Heroum triumphat Pietas,
Quam in Capitolijs, Regum Maiestas,
Quia & augustior Virtus, quò Diuinior,
Qualis est Tua, ô MAGNE HEROS!
Vectigalem secum trahens vbique immortalitatem.
Sic Tu è numero Magnorum cultorum MARIÆ, Maximus,
Ingeniosam Tuam deuotionem in secreto Palatij MA-
RIANI esse voluisti
Quando extra omne periculum Eclypseos
Accensis duabus ad splendorem Lampadibus,
Ampliùs quò se exporrigat ardor Tuus, in MARIAM,
Nil habes,
Ex quo sic adhæsisti plenitudini Gratiarum.

ODE

ODE IV.

Dum auream Deiparæ Czestochouiensis Lampadem appenderet Illustrissimus.

O Qui citato pollicis impetu
Gratùm sonantis flamine barbiti
Impellis antennas carinis
Pegasei Dominator amnis;
Obuerte proras, huc age carbasa,
Quò te sereno collis in aggere,
Claris ab ignibus relucens
WARSZYCIÆ monumẽta dextræ
Vltrò reposcunt, & PHARVS aureo
Vibrans ab igni; ne timidus freti
Curras per æquor, fulguranti
Hâc face, peruigiliq; amore
Videbis imo pectoris in sinu
Exuberantis munera dexteræ,
Vt lenè manant! quêis decorem
Addit adhuc Cynosura VIRGO!
Vt ille Magnus Mazouiæ Arbiter,
Sacris MARIÆ tostus amoribus
Se fert, & auratas refundit
Largus opes: cumulatq; flammas;
Vt Cultor Almæ VIRGINIS Aureos
Accendit ignes, & vigilem PHARVM
Appendit! olim tam sereno
Sidus, & hic, radiabit astro.

INSCRIPTIO IX.

LAMPADIS.

Audiet Posteritas,
PHARVM hanc Auream,
WARSZYCIANÆ mentis Aureæ indicem esse.
Clarum deinceps Montem non absque causa dicemus,
Dum aureâ illustratur face.
STANISLAI Nomen famam imperat,
Pietas præstat.
Virtus honorem, vt præmium sibi debitum desiderat;
Quæ nunquam magis Nomina facit, quàm cùm donat.
Videant in te alij factam ex auro Animam,
Nos manum Diuinæ simillimam miramur.
Certè
Aureum tuo Nomini inducis titulum,
Dum aurum, auri DOMINÆ, elargiris,
Benè Stemmati prouides tuo,
Qui Magno Munere Muneraris MARIAM.
PHARVM præmittis ad Superos,
Sed ad splendorem VIRGINIS accensam.
Ibis semper securus per ora & animos hominum,
Qui, & ferro contra hostes,
Et auro contra cælum pugnare nôsti.

INSCRI-

INSCRIPTIO X.

O Virum Clariſsimum!
Qui in MARIANO Sacello, quot Lampades, tot
ſydera clariſſima accendit,
Cui, niſi congenitam ſerenitatem, aſtrorum Scrutatores dixerint,
Toto cælo errabunt.
Abſit, vt extraneo luminum concurſu ſerenari is poſtulet,
Cui ſatis fulgorum & ſplendorum
WARSZYCIANA & ROXICIANA
Familia dedit,
Illuminatrix MARIA, etiam in immenſum auxit,
A quâ, pro terrenis Lampadibus, cæleſtium
Amorum ignes hauſit.
Hâc luce ille innutritus, hâc animatus,
In cælo Sarmatico, etiam inter obſcuras inuidiæ noctes,
Veluti Sol, inter procelloſas nubes, clarior eluceſcit;
ABITE MALEVOLORVM NEBVLÆ
Nulla ſeſe aduersâ caligine Domus WARSZY-
CIANA permittit infuſcari,
Vbi ſolida Pietas
Dignum Maieſtate ſuâ, inuenit domicilium.
Vel ideo, quia ſub patrocinio MARIÆ collocata,
Neutiquam minuenda.
Cuius nobiles igniculos, oleum affuſum fouet.
Omninô cum ſuis Lampadibus, etiam occumbentis
Domini funeri, futura ſuperſtes;
Morti renuntiatura & Noctibus,
Quarum vmbras æternæ lucis ærario
ſerenabit.

ODE V.

IN AVREAM LAMPADEM

Illustrißimi Domini

PALATINI.

VIdetis? an quæ sideribus nouæ
Fulsêre flammæ? nam videor mihi
Spectare nocturnam virenti
Colle facem cupidam videri!
At vnde, terris tam subitò noua
Affulsit oris Fax, super inclytum
Elata montem, fastuoso
Inuidiam positura soli?
Agnosco sacram WARSZYCII PHARVM,
Quam plena figit Munificentia,
Quam vesper, & caligo noctis
Nec stygiis superabit vmbris.
Non sic renato, flammea, Phosphori
Igni coruscat Cæsaries, nouam
Sparsura lucem: dedicata
WARSZYCII PHAROS, vt corusco
Resplendet auro, prodiga luminis!
Ternos reflexu dixeris impetu
Ardere soles, triplicemquè
Ad radios trepidare lucem.
Absiste vulgus quærere fumidas
Faces Cleanthis. hinc procul inuidæ
Faces, & astrorum remoto,
Sidera, ferte gradum, recessu.

O macte

O macte largo Pectore WARSZYCI,
Quacunq ductor, siue redux velis,
Seu nocte tetrâ; siue rursùm
Ire, redire; PHARVS nitebit!
Quin & sereno non poteris diu
Latere cælo, VIRGINIS ô Cliens:
Auratus hic te index Lucernæ
Protinus indigitabit; HIC EST.

INSCRIPTIO XI.

LAMPADIS.

Salutis Portus est
CLARI MONTIS DIVA CLARIOR,
Felix quòd his iter tuum regas indicijs,
Quæ nouo lumine accensa
Toti rutilat aspectabilis vniuerso.
Fingant Pöëtæ Solem occidere in Oceano,
MARIA in Pelago bonorum oritur.
En percussus noui SOLIS radio
Nouus Memnon vocem dedit.
SOL nempè Terrarum est MARIA;
SOLI Aurora num deesset?
Illustrissime Domine, vide
CLARVM IN POLONIA MONTEM,
Pietate Tuâ, quò esset clarior, illustrari.
Aurum in auro obtulisti,
Quia Illustrium Virorum animæ, auro sunt
concolores.

Præsensit aurum MARIA,
Ex quo & ipsa mores Aureos donaret Clienti
Ministrauit Oleum,
Quo ornares tuam Lampadem,
Vt in luce meritorum, DEO & DEIPARÆ appareres.

INSCRIPTIO XII.

Quod Sol in cælis,
Hoc Tuæ ILLVSTRISSIME Domine,
Lampades, in Sacrario Virginis;
Quæ & lucent, & ardent;
Sic semper ardorem Pietatis, lux sequitur.
Quam solam, ignis non consumit, sed auget,
Ratus iniustæ frontis esse, ea absumere, quæ solida
In MARIAM deuotio, semel accendit.
Vt Solem è cælo,
Ita & Tuas Lampades, nulla manus tollet è Sacrario:
Sed nec deliquium vllum pertimescunt,
Annuæ Tuæ impensæ, fomentum illis subministrant perenne.
Cæleste prorsus tale incendium!
Quod vel ipsum diuinissimum DIVÆ combuburit domicilium.
Hoc demum est, Deo & Cælitibus vim inferre.
Vt noua lucra, à victis Superis proueniant.
En quo MARIANI Cultus Sacer ignis non ascendit!
Vsque adeo illi potestas & in Cælites,

Ipse

Ipſe Altiſſimus amat tali igne Cor ſuum cremari.
Quiſquis es, ô BONE, qui hæc cordatus pellegis,
Præ foribus Cordis Tui ſimiles flammas defige,
Hoc Te Pietas Illuſtriſsimi Domini Palatini edocet,
Qui & corde ardenti, & votiuis ignibus,
Pius eſſe voluit.
Immortale Peregrinis Częſtochouienſibus, ſuæ deuotionis
Erga Magnam Matrē, Magnam Virginem,
Relinquens exemplum.

CORONIS HONORARIA

AD

Illustrissimum Dominum

PALATINVM MAZOVIÆ.

HVcusque Tuis istis Sacris Lampadibus, Sacra & ego amæniora feci. Nec me ita facilè ab his eruditis deliciis bonarum Charitum auelli sinerem, nisi finitimam suauitati satietatem esse scirem. Ignosce igitur, illustrissime Domine, quidquid illud pro argumento conceptæ gratitudinis, memor beneficiorum & quidem vocalis effudit calamus. Et sanè omnia ista hactenus profusa, in gratiam Tuæ Magnificæ Liberalitatis, Elogia, non aliunde quàm à Tuo supplici auro, ardenti Pietate insignito profluxerunt. Inanium siquidem est mentium, emendicatis perfrui præconiis, cùm emerita Pietas, vberem de se porrigat vnicuique materiam. Et quamuis noster etiam de Tuis hisce beneficiis siluisset amor; Ast tunc quoque, pro Te Munifico Benefactore, ipsa æternitatis perorasset facundia. Integra itaque Cultus Tui erga DIVAM Nostram magnitudo, ad Te Authorem suum redeat; quin imo & debitâ cum gratitudine, quam offerimus, non sine gloriâ Tuæ Amplitudinis recurrat ad cumulum, quidquid à Te, Heroum Maxime,

Maxime, prodijt in exemplum. Perge porro, innatam Tibi continuare deuotionem in MARIAM, amorem etiam in Ordinem Nostrum, qui Tibi sese, per me humillimè deuouet, ac simul vouet, vt sospitatu VIRGINIS huius Nostræ SOSPITATRICIS, prosperè procedas, Illustrissima Coniuge, charissimo Filio, Filiabusque Illustribus beatus, ac tandem.

Sic habites terris, vt te desideret æther,
Post, ad parta tibi æthera, tardus eas;

Nisi quod tunc quoque Totus, à nobis abire non poteris, quem rara, illaq; ardens in DIVI-PARAM veneratio, præter alia innumera beneficia, in Lampadibus, perenni igne, fotis, superstitem relinquet. Magna hæc in Te, Illustrissime Domine, Diuini fauoris argumenta, sed quæ merito, virtuti, Religioni, Pietati Tuæ in Deum, & deuotioni in MARIAM, è voto omnium nostrûm debentur. Cæterum vlteriori Te laudum copiâ grauare nolo, cùm satis Tibi grandem texuit Panegyrim, quisquis Te Claromontanæ DIVÆ singularis Amatoris, compendioso nobilitauit Encomio.

Ad Maiorem Dei Gloriam, & B. V. MARIÆ Honorem.

Superiorum Permissu.